

+ P. Georgius Mahony.
(Prov. Americ. S. Ludovici).

† A. R. P. Georgius Mahony.
(Prov. Americ. S. Ludovici).

Summo mane feriae V in Coena Domini, die 13 aprilis a. 1922 in collegio nostro Fresnoensi unus e Capitularibus novissimi nostri capituli generalis e vita migravit annos nondum quinquaginta natus.

P. Mahony die 5 augusti 1872 natus erat in parochia nostra S. Alphonsi Neo Aureliae parentibus Ioanne Mahony et Maria Elms, qui ex Irlandia in Americam migraverant, inter sex in domo liberos ipse quintus. Ibi in ecclesia nostra S. Alphonsi a P. Henrico Giesen baptizatus, in schola huius parochiae ab eximiis illis praeceptoribus religiosis, qui *Fratres Mariae* vocantur, eruditus est; in eadem S. Alphonsi ecclesia bene praeparatus ad primam s. communionem accessit, in ipsa post susceptam s. ordinationem primum s. missae sacrificium obtulit, in eadem denique defuncti corpus ante altare in feretro iacuit, cum eius exsequiae celebrarentur.

A Fratribus Mariae magistris optime eruditus, cum quattuordecim annos natus esset, mense septembri 1886 iuvenatum nostrum Kansanopoli

ingressus est, quo peracto novitiatum in Windsor Springs egit, ubi die 8 septembris 1891 vota perpetua nuncupavit. Kansanopolim deinde reversus in studia superiora incubuit et peracto primo theologiae moralis anno die 28 octobris 1897 ad sacerdotium promotus est. Die 1 ianuarii 1897 cum duodecim sociis sub praefecto P. Georgio Hild, Rectore collegii Kansanopolitani, secundo novitiatum incepit.



Die 1 iulii 1897 secundo novitiatu finito collegio nostro ad S. Alphonsum in civitate S. Ludovici adscriptus est, in quo septem annos transigit, ab anno 1901 muneribus ministri, consultoris et provinciae procuratoris fungens. His septem annis in parochia nostra interdum magno cum fructu laboribus parochialibus vacavit, sed multo saepius vel solus vel cum aliis sodalibus in missionibus et exercitiis spiritualibus laboravit, in quibus laboribus mox miram sibi comparavit peritiam atque sollertiam. Post hos septem annos autem mense iunio 1904 ad stu-

dentatum nostrum De Sotensem translatus est, ubi per tres annos sequentes theologiae moralis lectoratum exerceret. Sed homo laborum apostolicorum amans praesertim feriarum tempore exercitia spiritualia ad personas religiosas et sacerdotes habere non destitit.

Anno 1907 P. Muhany creatus est Rector iuvenatus in Windsor Springs, ubi simul rhetoricam et sacram eloquentiam studentes docuit. A. 1910 Superior dissitissimae domus nostrae Seattlensis dictus est in occidentali statu Washington prope oceanum pacificum, ubi usque ad annum 1915 in plurimis missionibus laboravit per status Washington, Oregon, California et Attah, sed etiam in provincia Canadensi, cui nomen est British Columbia. Quo tempore permulta etiam exercitia spiritualia ad religiosos sacerdotesque in illis statibus occidentalibus habuit.

Anno 1915 in patriam redire potuit, cum Rector collegii nostri Neo-Aureliensis cum tribus parochiis eidem adiunctis dictus esset, cui muneri per triennium praefuit. Magnum ibi opus perfecit, cum pro pueris trium parochiarum scholam constituisset, quam *Scholam maiorem Liquorianam* vocavit, et eam curandam regendamque iterum magistris suis *Fratribus Mariae* tradidisset, qui ab anno 1897 munere docendi in scholis nostris Neo-Aureliensibus fungi cessaverant. Haec schola, in qua disciplinae etiam altiores docentur, magistrorum optimorum cura magis magisque florescit.

Triennio Neo-Aureliae transacto iuvenatui nostro Kirkwoodensi (Windsor Springs) prope civitatem S. Ludovici iterum adscriptus est, non iam superior nec lector, sed missionarius, et tribus annis sequentibus in missio-

nibus et exercitiis spiritualibus per dioeceses statuum illorum mediorum occupabatur. Vere autem anni 1921, cum in capitulo nostro provinciali alter vocalis electus esset, Romam cum P. Provinciali McEnniry ad capitulum generale se contulit, quo peracto mense iulio eiusdem anni Rector collegii Fresnensis in California creatus est.

Interea P. Mahony viribus destitui et valetudine infirma uti coeperat. Ea de causa, cum nuntium de nova nominatione accepisset, humiliter primum petivit, ut revocaretur. Superiores vero sperantes mitiorem aerem Californensem eius valetudini profuturum esse votis eius non obtemperaverunt. Obedienti igitur animo Fresnoem petiit, sed non ad multos dies. Medicus enim, cum eum morbo rerum, qui a Brightio vocatur, laborare comperisset, hortatus est, ut in celebre quoddam valetudinarium catholicum non longe a Fresno civitate distans se conferret. Quattuor fere menses ibi moratus est; et primis quidem hebdomadibus melius se habere videbatur, deinde vero morbo ingravescente die 30 martii 1922 ad collegium suum revertit. Usque ad hoc tempus aegrotans Pater quotidianum s. missae sacrificium offerre numquam omiserat. Die 3 aprilis ipse rogavit, ut moribundorum sacramentis muniretur iisque receptis communitate praesente vota sua religiosa renovavit. Per duas, quas adhuc vixit, hebdomades, hilari semper fuit animo et pro quocumque in se collato beneficio gratissimum se ostendit. Saepe hunc illumve confratrem rogavit, ut e libro aliquo spirituali, et praesertim e scriptis S. P. N. Alphonsi, vel ex suo manuali pauca saltem sibi legeret. Die 10 aprilis sensibus destitutus est sicque remansit, donec in Coena Domini hora secunda noctis spiritum Deo reddidit.

Sequenti die, quae erat feria VI in Parasceve, post meridiem exsequiis funeralibus in Fresno habitis corpus via ferrata Neo-Aureliam translatum est, quo advectum est hebdomade sequenti sub vesperum feriae secundae. Sequenti die corpus ante altare ecclesiae nostrae S. Alphonsi expositum ab innumeris parochianis amicisque invisebatur et feria quarta, cum Pl. R. P. Provincialis missam sollemnem de Requie cantasset et Rñus Archiepiscopus Ioannes Shaw ultimam absolutionem dedisset, astantibus fere 70 sacerdotibus ingentique populo in coemeterio ad S. Ioseph sepultus est.

P. Georgius Mahony Redemptorista fuit in pleno nominis huius sensu. Summo enim studio multos per annos in missionibus et exercitiis spiritualibus indefessus laboravit. Fidelissimus quoque pastor animarum erat in parochiis nostris curae eius concreditarum. Iustus et benignus erat superior erga Congregatos sibi subditos, doctus et ad iuvandum semper paratus magister tum in iuvenatu, tum in studentatu nostro. Ante omnia autem homo religiosus erat optimi exempli, qui fidelis vocationi suae excelluit observantia regulari, orandi assiduitate et sincera pietate, caritate fraterna non minus quam animarum zelo, et imprimis forti desi-

derio sanctissimam Dei voluntatem sibi manifestatam semper fidelissime exsequendi.

Fuit P. Mahony homo praecellenti ingenio dotatus, ingenii autem sui facultates sapienter excoluit eisque sapientius etiam ad gloriam Dei salutemque animarum promovendam usus est. Studiorum amantissimus per totam vitam, quantum potuit, temporis studiis librisque utilibus legendis tribuit. Studiosissime imprimis in libros a clarissimo Cardinali Henrico Newman conscriptos incubuit. Constanti studio et multo usu ipse factus est lucidus atque animatus fervidusque tum scriptor tum verbi Dei praeco, intrepidus etiam veritatis tum verbis tum scriptis propugnator, maxime in magna educationis catholicae causa. Ubicumque P. Mahony in sacris missionibus vel exercitiis spiritualibus desudaverat, omnium animos tum modestia et urbanitate sua, tum eloquentiae nitore et ardore, tum vero maxime paterna sua erga paenitentes benignitate attraxit. Pleni laudis eius praesertim sacerdotes erant, qui eo magistro exercitia spiritualia fecerant, ita ut eum iterum atque iterum exercitiorum moderatorem habere desiderarent.

Mors huius confratris praematura, quamquam ei ipsi fuit lucrum, provinciae tamen nostrae maxima fuit iactura. Ad vitam eius breviter depingendam vere usurpari possunt verba illa Spiritus Sancti: *Consummatus in brevi explevit tempora multa. R. i. p.!*